





AD LEG. VI. §. XVII D.

30

DE

# EXCVSATIONIBVS

COMMENTATIO

Q V A M

P R A E S I D E

D. GEORGIO STEPHANO  
WIESANDIO

SERENISSIMO PRINCIPI ELECTORI SAXONIAE A CONSI-  
LIIS SVMMI PROVOCATIONVM SENATVS DECRETALIVM  
PROFESSORE PVBLICO FACVLTATIS IVRIDICAE ORDINARIO  
CONSISTORII ECCLESIASTICI DIRECTORE CVRIAЕ PRO-

VINCIALIS ET SCABINATVS ASSESSORE

PRO SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS

O B T I N E N D I S

DIE XVI. MAII A. R. S. C I O C C L X X X X I I I

H. L. Q. S.

AD DISCEPTANDVM PROPOSITVRVS EST

A V C T O R

IOANNES LVDOVICVS HENRICVS HERMANNVS  
ADVOCATVS DRESDENSIS.

---

VITE BERGAE

LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII.

AD FFC AL & XAN D  
EXCAGATIONIBVS  
COMINENTATIO  
G A N  
GRATIADB  
D. GIORGIO STEPHANO  
WIE SAN DIO  
TVO ZUMVIS IN ARBORE MUNERIBVS  
DIE XAN MATE AL K S CIPROCC XXXIIII  
AVATOR  
JOANNES LUDOVICVS HINRICVS HERMANNVS  
VBOGATAS MUNERIBVS

MATHELIA

PIETATIS CAVITATIS CREATIVITATIS DIFFUSIO



I.

**D**at remissionem tutelae, **MODESTINVS** ait, et capitalis inimicitia a creato facta aduersus patrem pupillorum.<sup>a)</sup> Qua remissionis voce cum libero creati tutoris arbitrio relictum videatur, velit inimicitarum excusatione vti, nec ne, haec vero sententia neque naturae tutelae, neque analogiae iuris, conueniat, quin legibus expressis repugnet, periculum, quoad temporis ratio patitur, faciam, num locus ille **MODESTINI** e *Libro secundo excusationum* depromtus, et a **TRIBONIANO** in *Digesta* translatus, cum rationibus memoratis, quae inimicitionem capitalem apud Romanos fuisse necessariam a tutela excusandi causam, extra omnem dubitationis aleam ponere videntur, conciliari

a) L. 6. §. 17. D. *de excusat.*



liari possit. Sed ut ordine et perspicue mentem meam explicem, pauca de notionibus excusationum tutorum et inimicitarum capitalium praemittere liceat, quibus praemissis, rationes nonnullorum virorum eruditorum, ex hac ipsa lege cum aliis quibusdam locis coniuncta, contrariam sententiam stabilire conantium breuiter excutere, et, quantum permittit ingenii tenuitas, refutare conabor. Quo facto munita via ad conciliandam legem propositam cum locis dubiis facile patebit.

### §. II.

Qui caussam legitimam, ipsis legibus statutam coram competente magistratu allegat, ut ab onere tutelae liberetur, is, certorum exemplo, qui quocunque munere publico, quale etiam erat tutela,<sup>b)</sup> cupiunt vacare, dicitur se excusare. Neque tamen hi soli, verum etiam illi, qui, quo minus tutelam gerant, legibus ipsis prohibentur, dieuntur excusari. Quare excusatio ita definitur, ut sit iusta caussa, propter quam quis tutelam suscipere non cogitur, vel prohibetur. Quisque facile intelligit, vocem excusare hic notionem sere nouam complebit, cum alias tantum facultatem sese ab officio liberandi indicet, hic autem etiam quandam prohibitionem et necessitatem innuat.

b) *Pr. I. de excusat.*

innuat. <sup>c)</sup> Neque tamen volo in hac voce explicanda diutius  
morari, cum iam summos viros, eosque maxime idoneos ha-  
rum rerum iudices, velut BYNCKERSHOECKIVM<sup>d)</sup> et HEI-  
NECCIVM<sup>e)</sup> id fecisse, constet.

§. III.

De numero cauissarum, quibus allegatis a tutela immuni-  
tas efficitur, haud conuenit inter viros doctos.<sup>f)</sup> Nonnulli,  
omisso earum numero, eas magis suo cuiusque generi subii-  
cere studuerunt.<sup>g)</sup> Mihi quidem ea commodissima videtur  
diuisione, quam quasi ex composito, nunc plerique viri eruditii  
cum STRVVIO,<sup>h)</sup> MÖLLENBECCIO,<sup>i)</sup> WESEM BECCIO,<sup>k)</sup>  
et HEINECCIO<sup>j)</sup> recepero, ita quidem, ut statuatur duplex

A 3

prae-

c) Vim verbi excusat, qua saepius denotat in iure prohibere, ostend-  
erunt VLPIANVS L. I., §. 3; D. de postul. et CALLISTRATVS  
L. II. D. de Decur.

d) Observat. L. 4. c. II.

e) Inst. de excusat. §. 288.

f) Varias diuisiones si quis quasi in latura lance appositas inspicere  
velit, adeat SLEV SINGII diff. de excus. tit. et curat. Cap. II. th. 3.  
et PETRI MÜLLERI notas ad Struvium in Exercit. XXXII. th. 56.

g) In Exercitat. 31. th. 56, 57. et in Iurispr. R. G. Tit. 25. §. I. II.

h) In Dic. Iurid. 53. cent. 2.

i) ad D. Tit. de Excus. n. I.

j) ad I. et D. eod. Tit.



principiarum excusandi a tutela caussarum genus, quarum alterum continet eas, ob quas vel ne volens quidem admittitur, alterum vero eas, ob quas volens quidem admittitur, inuitus vero non cogitur. Quas quidem caussas, sive excusationes improprias aut proprias, sive necessarias aut voluntarias vocaueris, perinde est. Ad haec igitur genera omnes excusationes comimode refetri possunt. Sed eas singulas enumerare, et suas cuique generi formas vindicare a consilio meo alienum est, cum de una tantum excusationum specie, scilicet de inimicitiis, quas cum patre creatus tutor habuerit, capitalibus in legis illa parte, quam interpretabor, quaeratur, mihi vero eiusmodi inimicitiae ad numerum impropriarum excusationum referenda esse videantur.

#### §. IV.

Quid vero capitales inimicitiae fuerint, ante omnia hic erit exponendum. Qua quidem in re in primis HOPPIVS<sup>k)</sup> et PÜTTMANNVS<sup>l)</sup> operam suam collocarunt. Inimicitias illam miseram animi humani affectionem esse, qua quis alteri non solum non amicus est, verum etiam eundem odio et malevolentia prosequitur, nemo ignorat. Nonnullis autem inimicitiis

<sup>k)</sup> Diff. de inim. capital. Gedani 1712, Anno 11. ATC. 11. 1.  
<sup>l)</sup> in Adversar. libr. I. c. 1. pag. 7. sqq. ATC. 11. 1. 1.

tiis appellatio capitalium in iure tribuitur, ut in aliata lege, ad  
 innuendam earum grauitatem. Sed cum diuersae sint senten-  
 tiae virorum doctorum de vera notione inimicitarum capita-  
 lium, paullulum in hac voce mihi subsistendum est. Verbum  
*Capitalis* a voce *Caput* deriuari, satis manifestum est. *Caput*  
 vero varios in iure habere significatus, maxime vero apud Ro-  
 manos denotasse triplicem statum, libertatis, ciuitatis, et fami-  
 liae, adeoque res cuique pretiosissimas, e notione capitum de-  
 minutionis satis constat. Exinde vocis *capitalis* variae tradun-  
 tur potestates in iure nostro obuiæ. Quas quidem *HOPPIVS*<sup>m)</sup>  
 ad triplex genus reuocauit. Nimirum vox *capitalis* stricte ac-  
 cepta tantum cauam sanguinis significat, in quo sensu poena  
*capitalis*<sup>n)</sup> appellatur ea, quae mortem ipsam naturalem infert,  
 et crimen capitale<sup>o)</sup> iis, quae sanguinis poenam ingerunt, com-  
 prehenditur. Late sumta cauam indicat, quae aut vitae, aut  
 libertatis, aut ciuitatis amissionem respicit. Ita enim *IYSTI-*  
*NIANVS*<sup>p)</sup> appellat illa iudicia publica capitalia, quae ultimo  
 supplicio afficiunt homines, vel aquae et ignis interdictione,  
 vel deportatione, vel metallo. Eandem notionem cum capita-  
 libus

*m)* *c. l. §. 3.*

*n)* *ap. MARCIANVM I. 4. D. de poen.*

*o)* *I. 18. C. de Transact.*

*p)* *Pr. I. de publ. iudic. §. 2.* In eodem sensu *VLPIANVS* in *I. 23. §. 2.*  
*D. de nedilit. edit.*, accepisse videtur fraudem capitalem.



libus iudicis coniungunt PAVLVS<sup>1)</sup> et AFRICANVS<sup>2)</sup>, quoniam poena mortis, aut aquae et ignis interdictione, caput eximatur de ciuitate. Eadem confirmant TERENTIUS CLEMENS<sup>3)</sup> et VLPPIANVS<sup>4)</sup>, cum capitis accusatum et damnatum eum esse dicunt, qui poenae mortis aut exilii subiiciendus sit. Denique, uti MODESTINVS tradit,<sup>5)</sup> capitalis vox in latina lingua qualemcumque quidem caussae existimationem in sensu lato continet, strictius tamen summa capitalis caussa tantum mortis vel ciuitatis amissionem denotat. Quibus quidem positis, sequitur, ut capitales inimicitiae sint illae, quibus quis inimicitiam erga alterum exerceat adeo grauem, ut eundem summo odio prosequatur eiusque perniciem meditetur. Romanis igitur is, qui, inimicitia ductus, capitis alterum innocentem accusabat, summam inimicitiam prodere credebatur.<sup>6)</sup> Quare recte se habet, quam probat etiam IAC. CVIACIVS<sup>7)</sup>, definitio ANTONINI AVGUSTINI,<sup>8)</sup> inimicitias capitales esse ob omnius emperatoris arbitrio colligentes, etiam si non capitaliter, qui iudicis causa est, uti potest. <sup>9)</sup> et vnu capitulo  
 q) l. 2. D. de publ. iudic.  
 r) l. 13. D. de Bonor. Possess.  
 s) l. 10. D. de iure patron.  
 t) l. 4. pr. D. si quis caut. in iud. fist. causs.  
 u) l. 103. D. de V. S.  
 v) Vlpianus l 14. Pr. D. de bonis libert. Nouell. XC. c. 7.  
 w) in Comm. ad l. 6. D. de excus. in oper. T. II. p. 195.  
 x) in Libro singulari ad Herenn. Modestinum de excusat. qui in est in ev. OTTON. Thes. iur. Rom. T. IV. pag. 1582.

9

capitalem accusationem exortas, praesertim cum **SCAEVOLA**  
eas,<sup>2)</sup> quas **VLPIANVS**<sup>3)</sup> in eadem causa legatarii inimicitias  
capitales vocauerat, inde repeatat, **quod legatarius testaticem**  
**ideo, quod patrem suum mandasset interficiendum, accusau-**  
**rit.** **PÜTTMANNVS** quidem adhuc aliam affert huius vocis  
interpretationem a **IACOBO RAEVARDO**<sup>4)</sup> adoptatam, qua  
capitales inimicitias eas fuisse ille coniicit, quas alter alteri te-  
stato denunciasset, quia sanguinem et vindictam spirarent.  
Nam moris fuisse, ait, apud Romanos, ut, qui simultates cum  
alio habuissent, amicitias sollenniter renunciarent, et inimici-  
tias coram testibus profiterentur.<sup>5)</sup> Sed, morem hunc com-  
munem fuisse omnibus inimicis, quamvis atrocibus, statui  
non potest. Neque satis constat, vtrum solae hae inimicitiae  
renunciatae ad capitales relatae fuerint. Denique verum qui-  
dem est, si usum vocis *capitalis* vulgarem respicimus, saepe  
etiam eam de iis, quae valde noxia fuerunt, adhibitam fuisse,  
quod quidem **PÜTTMANNVS**<sup>6)</sup> & **CICERONE**,<sup>7)</sup> **OVIDIO**<sup>8)</sup>

et

g) l. 31. §. 2. *D. de adimend. legat.*

z) l. 3. §. 11. *D. eod.*

a) *in oper. pag. 161. et 665.*

b) Exemplum Tiberii Gracchi apud **VALER. MAX.** *L. IV.* f. 1. in  
uenitur.

c) c. l. pag. 10.

d) *Offic. I. 13. et ad Q. Fr. II. 12.* e) *Faſt. III. 839.*



et HORATIO<sup>f)</sup> probauit. Iuuat hic adscribere potissimum  
verba HORATII:

inter

„Hectora Priamidem animosum atque inter Achilleum

„Ira fuit capitalis, ut ultima diuideret mors,

„Non aliam ob caussam, nisi quod virtus utriusque

„Summa fuit.

Inde vero intelligitur, capitalibus inimicitiis saepe indicari grauissimas et atrocissimas a quacunque caussa ortas. Num vero, quod PÜTTMANNO<sup>g)</sup> cum ANT. SCHVLTINGIO<sup>h)</sup> et VINNIO<sup>i)</sup> videtur, etiam in iure inimicitiae capitales latius pro quibuscumque grauibus et atrocibus inimicitiis accipiuntur propterea, quod iidem effectus in uno loco inimicitis capitalibus, in alio vero grauissimis tribuantur,<sup>k)</sup> et haud raro etiam in legibus verbum inimicitia, sine adiectione vocis capitalis, occurrat,<sup>l)</sup> nondum satis liquere videtur. Saepius duabus rebus, licet diuersis, unus idemque effectus tribuitur. Ipsae tamen leges, in quibus capitales inimicitiae cum grauissimis

com-

f) Sat. I. 7, 12.

g) c. l. pag. 12.

h) ad PAULI R. S. Lib. II. Tit. 27. §. 1;

i) in Comm. ad I. §. 11. de excus.

k) PAPINIANVS l. 22. D. de adm. legat.

l) V. C. TRYPHONINVS l. 8. D. de confirm. tut.

compositae leguntur,<sup>m)</sup> diligenter eas copula vel videntur distincte. Certe **MODESTINVS** in lege supra laudata eas tantum inimicitias, quae ex capitali accusatione ortae sunt, intellexisse videtur. Ita vero tradit **MODESTINVS**: *lacet capitalis<sup>n)</sup> latine loquentibus, h. e. omnis causa existimationis videatur, tamen appellatio capitalis, mortis, vel amissionis ciuitatis intelligenda est. Ad de **JO. CONR. RVCKERI** Interpretat. iur. ciuil. cap. I.*

§. V.

Iam vero de capitalibus inimicitias magna est inter viros doctos diffensio, utrum a tutela ita excusent, ut allegatio excusationis non necessaria sit, sed tutela ipso iure locum non habeat, adeo, ut, si talis inimicus illam iam subferit, a magistratu competente remoueri possit; an iste, qui tutelam gerere debet, libertatem habeat intra statutum tempus<sup>o)</sup> excusationem allegandi, et, licet non prohibeat, tamen liberetur. Plerique legum interpretes hanc liberationis a tutela causam silentio omisere. Qui vero eius mentionem fecere, plerique incidunt in contrariam sententiam, qua inimicitias capitales voluntariam tantum excusationem a tutela suppeditare credide-

B 2

runt,

<sup>m)</sup> L. 3. §. vlt. D. de adim. leg. L. 9. D. de his, quae ut indign. L. 15. D. de recept. qui arbitr.

<sup>n)</sup> L. 103. D. de V.S.

<sup>o)</sup> **MODESTINVS** L. 13. §. 1. D. de excusat.



runt. Idem tamen in probandis dictis atque propoendis argumentis tam fuerunt parci, ut locos, quibus se muniant, afferrant parum idoneos. <sup>p)</sup> Hic vero nominamus VENNIVM <sup>r)</sup>, HEINECCIVM <sup>q)</sup> et HYBERVM <sup>s)</sup>, qui nobis sunt contrarii, et praeter nonnullos locos a IVSTINIANO in Institutionibus <sup>t)</sup> propositos, etiam nostram legem et verba, quae ibi videntur perspicua: *praestare excusationem, solere excusare a tutela, et dare remissionem tutelae*, in commoda sua vertere cupiunt. Rationes, quibus hanc sententiam propugnant, hae fere sunt. Cum scilicet intelligent, duram esse sententiam, quae statuat, Romanos vñquam priuilegium dedisse inimicis, confugiunt ad leuorem legis rationem, quod nempe, *vti HEINECCIVS, auctoritatē VNNI* secutus, putat, videatur eis ignoscendum, qui hoc obtentu sinistram istam opinionem vitare et anteuenire remotionem cupiunt. HYBERVS tradit <sup>u)</sup> cauſas speciales, quibus tutela et cura euitentur; non modo esse excusatorias, sed etiam prohibitorias, priores vero vel publicas, vel priuatas. Inter priuatas refert inimicitiam, putat tamen, capitalem potius esse cauſam necessariam. Etsi igitur inimicitias ad

<sup>p)</sup> in *Comm. ad Inst. de Excusat.* II.

<sup>q)</sup> *Instit. Iur. ciu.* §. 294. et *Pandect.* P. IV. §. 359.

<sup>r)</sup> *Praelect. ad Institut. de excus.* §. 9. et *ad D. eod.* §. 2.

<sup>s)</sup> *de Excus.* §. 9. et II.

<sup>t)</sup> *Praelect. ad D. de excusat.* §. 2.

causas excusatorias retulit; tamen, num capitales ad prohibitorias pertineant, dubius haerere videtur. Discretum quidem auctoritate VLPIANI,<sup>v)</sup> in alia causa inter inimicitias videtur constituisse; sed rationes, quas<sup>w)</sup> adiecit, quae magis aequitate naturali quam firmis legum fundamentis nituntur, ostendunt perspicue inimicitiam capitalem ab eo magis habitam fuisse causam excusandi voluntariam, quam necessariam. Primo enim disertis verbis declarat, ei, cui propter inimicitiam, atque ut ipsi aegre fiat, tutela testamento imposita sit, excusationem esse permissem. Deinde ob grauem seu ob capitalem, non ob leuem inimicitiam, competere excusationem contendit. Ne vero id temere dixisse videatur, rationes addit, cur huius generis excusatio sit admittenda, quia famae ratio sit habenda, ne damna, quae pupillis contingunt, inimicitiae impunitentur, nec religio exigat, ut officia, exceptis necessariis, inimicis praestentur, nec caritatis lex, nisi cum aliis reperiri nequeat, tutelam imperet. Ut vero etiam iudicem defendat, cur inimicis tutoribus indulget, nec excusationem reiiciat, ratio, inquit, eum mouebit haec, durum esse, hominem gra-

B 3

uissime

<sup>w)</sup> L. 3. §. vlt. D. de adim. legat. verb: si capitales vel grauissimae inimicitiae intercesserint, ademum videri, quod relicum est; sin autem leuis offensa, manet fideicommissum.

<sup>v)</sup> in Prael. ad Institut. de Excusat. tutor. et curator. §. 9.



uissime a defuncto laesum ad regundam eius hereditatem compellere.

§. VI.

Sed, ut omnia recte diiudicentur, natura inimicitiae capitalis accurate erit consideranda simulque sanctiones legum, quae de tutelis dandis et confirmandis praecipiunt, sunt attendenda. Constat quidem inter omnes, in tutela principem, qui rem publicam regit, sustinere quasi defuncti patris locum, cuius quidem iactura, liberis relictis, hoc tutelae instituto, quodammodo videtur resarciri ita, ut impuberis, quorum consilium ob aetatem fragile est atque infirmum,<sup>w)</sup> ab aliis, qui velint atque possint, regantur, et, dum ob aetatem infirmam ipsi se tueri nequeant,<sup>x)</sup> ab omni iniuria defendantur. Quare publica auctoritas in eligendis iis, qui tutores pupillorum esse debent, semper sequitur parentis voluntatem. Haec enim liberis optime consulere videtur.<sup>y)</sup> Hinc in iure pater semper praesumitur fidos ac probos elegisse liberorum suorum tutores,<sup>z)</sup> adeo, ut, ipso mortuo, si illi, quos tutores voluit, non ita

w) VLFIANVS l. 1. Pr. D. de minor.

x) §. 1. I. de tut. et PAVLVS l. 1. Pr. D. eod.

y) PAPINIANVS l. 22. §. 4. D. ad L. Iul. de adult.

z) PAVLVS l. 36. Pr. D. de Excus: amicissimos quidem et fideliissimos parentes liberis tutores eligere solere.

ita fuerint reperti, durare amplius eius voluntas non credatur.<sup>a)</sup> Inde vero consequitur, vt ii, quos appareret defuncto fuisse inimicos insignes, tutelae liberorum, quos reliquit, administrandae haud sint apti, licet negandum haud sit, interdum patrem suum inimicum bona mente liberis dare tutorem, vt obseruauit LEYSERVUS *Specim. 337. Medit. 2.*

### §. VII.

Romani vero legislatores hunc finem maxime respexere. Etenim magistratus in tutoribus dandis ac confirmandis id potissimum obseruare debent officium, vt semper boni patris voluntatem imitentur. Scilicet magistratus tutorem dare debet

- a) TRYPHONINVS l. 8. D. *de confirm. tut:* *in confirmendo tute hoc Praetor inquirere debet, an durauerit patris voluntas. Quod in facilie est, si proximo mortis tempore tutores non iure vel curatores scriperit pater. Nam si ante annos, ut spatio medio potuerit facultatum dati non iure tutoris a patre, fieri diminutio, vel morum ante celata vel ignorata emerit improbitas, aut inimicitias cum patre exarserunt. Idem in l. 10. pergit: utilitatem pupillorum Praetor sequitur, non scripturam testamenti vel codicillorum. Nam patris voluntatem praetor ita accipere debet, si non fuit ignarus scilicet eorum, quae ipse Praetor de tute comperta habet.* MODESTINVS l. 4. D. *in fin. de testam. tut:* *sed et inquiri in eum, qui matris testamento datus est tutor, oportebit: cum a patre datus, quamvis minus iure datus sit, tamen sine inquisitione confirmatur, nisi si eauffa, propter quam datus videbatur, in eo mutata sit, veluti si ex amico inimicus, vel ex diuine pauperior effectus sit.*



bet non solum locupletem, verum etiam morum probitate maxime idoneum. **MODESTINVS**<sup>b)</sup> cum reliquis, inquit, oportet magistratum et mores creandorum inuestigare, neque facultates enim, neque dignitas ita sufficiens est ad fidem; ut bona electio vel voluntas et benigni mores. Quem locum **ANTON. AVGUSTINVS**<sup>c)</sup> in Libr. singular. ad Modestinum ita interpretatus est: inter ceteras causas magistratum oportet creandorum mores animaduertere, neque enim tam facultates aut dignitates aptae sunt ad fidem eis habendam, quam vitae institutum decens et mores probi. Eleganter idem demonstrat, προσαίγετω hic non voluntatem, sed vitae institutum exprimere.<sup>d)</sup> Ita, quos non bonae vitae vel frugi, nec amice sed male conuersari, aut inimicum esse comperissent, eos nec dare, nec confirmare,<sup>e)</sup> quin, si iam tutelam suscepitam gessissent, ob id ipsum, quod fuerint inimici, eos reiicere debeant. Expressis verbis **VLPIANVS**<sup>f)</sup> dicit: *si tutor inimicus pupillo*

b) 1. 21. §. 5. D. de tut. et curat. dat.

c) cf. Ott. Thes. Tom. IV. p. 1562.

d) Idem l. c. Theophili paraphrasin in print. Inst. de Satisd. tut. et §. 3. Inst. de Attil. tut. laudavit.

e) TRYPHONINVS 1. 8. et 10. D. de confirm. tut **VLPIANVS** 1. 3. §. 3. D. de admin. et per. tut: quamvis autem ei potissimum se tutelam commissurum Praetor dicat, cuiteſtator delegauit, attamen nonnunquam ab hoc recedit: ut puta si — eo tempore fecit, quo ipse tutor bonae vitae vel frungi videbatur, deinde postea idem coepit male conuersari ignorante testatore. **MODESTINVS** 1. 4. D. de test. tut.

f) l. 3. §. 12. D. de susp. tut. cf. l. 5. eod.

pupillo parentibusue eius sit, et generaliter, si qua iusta causa praetorem mouerit, cur non debeat in ea tutela versari, reiicere eum debet. Huc spectant, quae PAVLVS habet: <sup>g)</sup> inimicitiae capitales, quas quis cum patre pupillorum habuit, a tutelis excusantur, ne paterno inimico pupilli committantur. Ibi PAVLVS, addita ratione satis firma, haud temere videtur significasse, necessario inimicitias capitales excusasse, ita ut manifestum sit, tutorem inimicum etiam ante susceptam tutelam iure nullum, id est, non idoneum, fuisse.

*inimicis suis non inimicis methodo illius. ov. mil  
est A. inimicis inimicis §. 8. odb. inomine mohop*

Cur vero leges homines inimicos ad tutelam haud admiserint, est facile ad intelligendum. Semel enim malus semper malus praesumitur. <sup>h)</sup> Disertis verbis IVSTINIANVS ait: <sup>i)</sup> homo ad malitiam semel deditus, quid non adiuueniat. Quotidiana quoque docet experientia, odium, quod quis concepit aduersus patrem,

g) R. S. L. II. Tit. 27. ap. ANT. SCHVLTING. in *Jurispr. Anteiusf.* p. 323.

h) Ius canonicum eandem recepit sententiam. C. 8. de Reg. *Jur.* in 6<sup>to</sup>.

i) Nonell. 7<sup>ta</sup>. Praef. Cf. l. 7. §. 3. D. de accusat.



patrem, plerumque proferri ad eius posteros, ut igitur pericu-  
lo graui exponeretur pupillus, si tutelae inimici subiiceretur.  
Horum quidem argumentorum gravitate commoti nonnulli  
docti viri eandem, quam in praesenti defendo, sequuntur sen-  
tentiam, ut existiment, ne iure quidem admitti eum, qui ini-  
micus cum patre pupillorum fuerit.<sup>4)</sup> Si Suaq. sumit sit et ca-  
mionis ab inimicis in isti collatione respondeat inimici  
ab hi nullum enim nesciunt nisiquod sit eius multis inimici  
§. IX.

Iam vero mihi obuiam eundum est aduersariis, quorum  
quidem argumenta adhuc breuiter excutere iuuat. Ante  
omnia vero accedam ad rationes, quibus opinionem, quod ca-  
pitalis inimicitia sit excusatio voluntaria, confirmare student.  
VINNIUS quidem et HEINECCIVS concedunt, odiis eorum,  
qui grauiter sunt laesi, aut alios laeserunt, nullo modo esse in-  
dulgendum; sed ignoscendum tamen putant iis, qui suspicio-  
nem sinistram hoc obtentu vitare, et anteuuenire remotionem

cupiunt.

*Auctoritas antiquarum et modernarum etiam quod vocant M. A. 218.*

4) STRVVIUS in Exerc. ad D. et MULLERVS in not. ad eum Lib.  
XXVII. Tit. I. BEYERVS in Delin. Iur. Civ. ad Inst. de excus.  
I. H. BOEHMERVS in Introd. ad Digest. eod tit. et Io. Fr. AVNG-  
HANS Init. iur. iuu. sec. Inst. §. 165.

cupiunt. Sed ita res sibi contrarias coniungere videntur, cum negent, inimicis esse indulgendum, affirment vero, iisdem ignoscendum. Deinde, cum inimicitias ad voluntarias excusationes referant, eae vero omnes nitantur singulari priuilegio, necesse est, ut etiam inimicitiis eiusmodi priuilegium datum fuisse largiantur. Sed hoc parum conuenit insigni, quae leges Romanae praestant, prudentiae, quae homines infirmae aetatis ab omni iniuria defendere voluerunt. Certe Romani tristis experientia edocti fuere, quantam vim saepe singulorum inimicitiae in totam rem publicam habuerint, quantamque perniciem mutua singulorum odia ei fuerint minitata.<sup>l)</sup> E contrario ex iis, quae inimicitarum intuitu, Romani alias statuerunt,<sup>m)</sup> apparet facile, inimicis nullam fidem esse habendam, veluti testi, iudici, procuratori, mandatario, arbitro inimico. Quin etiam eos quodammodo puniendos censuerunt ita, ut iis legata ac fideicomissa adimerent. Hinc HUBERTI sententia corruit, qui fauet rationibus a VINNIO atque HEINECIO allatis, additque alia argumenta parum commoda, veluti, durum esse, hominem grauissime a defuncto laesum ad regen-

C 2

dam

<sup>l)</sup> LIV. II. c. 35. sq. VALER. MAX. L. IV. c. I.

<sup>m)</sup> De qua re docte disputauit PÜTTMANN, in *Advers. Libr. I. c. 1.*



dam hereditatem compelli, nec religionem exigere, ut quaelibet officia praeter necessitatem, inimicis praesentur. Ut famae inimicorum consulatur, suadet quidem naturalis aquitas; sed simul cautiendum, ne pupilli, qui insigni lauore fruuntur, indulgentia nimia laedantur. Neque vero ideo, quod antetinire remotionem potuerint, efficitur, ut voluntaria excusatio fuerit. Si inimici, vt aduersarii consitentur, ob inimicitias a tutela, licet se non excusassent, fuerint remoti, sequitur necessario, vt ab initio ad tutelam iure non fuerint admittendi, tamquam suspecti, id quod etiam intelligitur ex iis, quae tradunt **VLPIANVS**<sup>n)</sup> et **IVSTINIANVS**.<sup>o)</sup> Fac vero, eo tempore, quo quis moritur, nondum satis esse certum, num reconciliatio, eodem adhuc viuo, interuenerit, inimicus, si tutelam suscipere velit, ostendere debet, se patri pupilli tempore mortis fuisse amicum malamque suspicionem, qua premitur, idoneis remouere argumentis. Neque inde, quod pater inimicum in testamento tutorem nominauerit, reconciliatio inferenda. Si in hac probatione defecerit, non est dubium, quin a tutela sit remouendus.

musb

§. X.

<sup>n)</sup> L. 8. D. de susp. tutor: *Suspectum tutorem eum putamus, qui moribus talis est, ut suspectus sit, enim uero tutor, quanvis pauper est, fidelis tamen et diligens, remouendus non est quasi suspectus.*

<sup>o)</sup> §. 13. Inst. de susp. tut.

## §. X. i. 2. c. 3.

Nec mihi obstat MODESTINVS in lege supra excitata.  
 Neque aduersarios meos iuuat IVSTINIANVS. Inimicitiam  
 capitalem dare remissionem tutelae, ait MODESTINVS, eandem  
 praestare excusationem, vel solere excusare, IVSTINIANVS dicit.  
 Haec quidem inter se non pugnant. Consideremus rationem  
 loquendi, qua IVSTINIANVS usus est. Cum in libris Institutionum id egerit, ut elementa iuris traderet iuris civilis studio-  
 sis, ne hi ab initio statim obruerentur responsorum ac consti-  
 tutionum multitudine, ad subtiliores distinctiones descendere  
 noluit, eo contentus, si primas iuris notiones ex iisdem perci-  
 perent. Neque ideo anxie verba curauit. Alias enim in alio  
 loco <sup>p)</sup> non adhibuisset eandem dictiōnē generis excusare se  
 posse, cum tamen maritum vxoris suae <sup>q)</sup> curatorem esse, <sup>r)</sup>  
 constitutiones et leges grauiſſime vetuerint, neque igitur vo-

C 3 lunata  
 p) §. 19. I. de excusat.

q) IMP. ALEXANDER I. 2. C. qui dare tut: maritus eti rebus uxoris  
 suae debet affectionem, tamen curator ei creari non potest. MODESTI-  
 NVS I. 1. §. 5. D. de excus: non potest curator esse sponsae sponsus,  
 vt senatus dicit, creatus autem talis absolvitur.

r) PAPINIANVS I. 14. D. de curat. furios: virum uxori mente ca-  
 ptae curatorem dari non oportet.



luntaria excusatio, si maritus creatus fuisset, locum habuisset.  
 Sed non est, vt in allatis locis **IUSTINIANVM** incuriae accusemus. Nam §. 9. c. 4. de illa forma loquitur, cum pater in testamento aliquem propter inimicitiam dederit, vt secundum **MODESTINI** sententiam supponeretur debito et negotiis. Tum autem penes tutorem est, velutne vti hac caussa, tanquam excusatione, nec ne. Quod quidem patet ex sequentibus. Non enim prohibetur suscipere tutelam. Quodsi enim, addit **IUSTINIANVS**, patri pupillorum se tutelam administraturum esse, promiserit, hac excusatione tutor datus vti non potest. Nec id contra indolem tutelae est, aut pupillorum commodis aduersum. Non enim inde, quod pater pupillorum tutori dato inimicus fuit, statim collendum, tutorem datum ipsum quoque patri fuisse inimicum. Quodsi non fuerit inimicus, hacc voluntaria excusatio ei non deneganda est. Hanc quidem speciem **IUSTINIANVS** intellexisse videtur. In §. 11. c. 4. autem **IUSTINIANVM** plane mecum sentire, non est dubium, cum excusare in iure interdum idem sit ac prohibere. Certe **VLPIANVS** promiscue verbis prohibere atque excusare usus fuit. Cum igitur **IUSTINIANVS** dixerit d. l. solent excusare, idem

*o. l. 1. §. 2. D. de post.*

idei videtur innuisse ac si dixisset, solent prohiberi. Ergo solus MODESTINVS in nostra *lege* superest, quem proprius in-tueamur. Is vero graece scripsit, Graeci vero ICTI in substituendis verbis latinis non semper fuerunt adeo felices, ut eorum vim-satis accurate expresserint. Excusationis vocem per ἐξεστατῶν, excusare vero per ἐξεστατεύεν ediderunt. Cuius difficultatis MODESTINVS ipse<sup>1)</sup>) in loco quodam ad IGNATIVM DEXTRVM fecit mentionem. Ergo non mirandum est, nostrum ICTUM hic adhibuisse vocem, quae notionem excusationis magis lenire, quam indicare vilam necessitatem videatur, praesertim cum egregius eius interpres, ANTONIVS AVGVSTINVIS in Libro singulari ad eum adnotauerit<sup>2)</sup>), saepe eum verbis ἀφένται aut ἀφέντει remittere, remissionem usum esse, vbi melius excusationis verbum positum fuisset.

### §. XI.

At quaerat quis, quamnam utilitatem in foris nostris praestent leges diuersae, quas quidem inter se conciliare stude-  
dii.

1) l. i. §. i. D. de. *Excus:* faciam autem, quod possibile erit, de his doctrinam manifestam enarrans legalia Gracorum voce, et si cognovis-  
tro, inepta ea ad transferendum esse.

2) apud EV. OTTON. c. l. pag. 1567.



dui. Ego vero haud temere mihi persuadeo, etiam in hac quidem re hodie ius commune, vti in vniuersa Germania, ita praeferenti in terris Electoralibus Saxoniciis esse sequendum. Cum enim *Ordinatio tutelaris nouissima*, quae in caussis pupillorum tanquam lex classica attendenda, in Cap. VIII. §. 1. et 2. varias excusationes, quas ius Romanum tradit, expressis verbis comprobauerit, de eo vero, num inimicitia capitalis fit excusatio legitima et num eadem ad voluntarias, an ad necessarias excusandi caussas fit referenda, nihil constituerit, facile intelligitur, in hoc quidem argumento confugiendum esse ad ius subsidiarium. Ceterum temporis breuitate fui impeditus, quo minus hoc argumentum copiosius excutere potuerim. Ego vero lectores beneuelos ea, qua par est, humanitate rogo, vt ea, quae proposui, aequis animis excipient.



ULB Halle  
004 334 728

3







AD LEG. VI. §. XVII D. 30  
DE  
**EXCVSATIONIBVS**

COMMENTATIO

Q V A M

P R A E S I D E

D. GEORGIO STEPHANO  
WIESANDIO

SERENISSIMO PRINCIPI ELECTORI SAXONIAE A CONSI-  
LIIS SVMMI PROVOCATIONVM SENATVS DECRETALIVM  
PROFESSORE PVBLICO FACVLTATIS IVRIDICAE ORDINARIO  
CONSISTORII ECCLESIASTICI DIRECTORE CVRIAЕ PRO-  
VINCIALIS ET SCABINATVS ASSESSORE

PRO SVM MIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS

OBTINENDIS

DIE XVI. MAI A. R. S. CCCCCCLXXXIII  
H. L. Q. S.

AD DISCEPTANDVM PROPOSITVRVS EST

A V C T O R

IOANNES LVDOVICVS HENRICVS HERMANNVS  
ADVOCATVS DRESDENSI S.

VITE BERGAE

LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII.